DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XIII. JANUARII MDCCXVIII.

M. FRANCISCO MAILLARD, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Mulieres pluribus obnoxiæ morbis, quàm Viri?

HUMANA gens, etsi ratione superior cæteris animantibus, inferior tamen aliundè est, gravioribus jactata malis: Homini coævam ne putes causam tantæ calamitatis: Mortalium primus in lucem prodierat integer vitæ morbique purus; at suo vix recens à Conditore ruit per vetitum nefas, divinæ Legis immemor; hinc ab origine degener, traditus morbis ac letho fuit, rebellionis suæ pœnas daturus; & (quod deplorandum magis) hæc unius Viri culpa Posteros omnes facit etiamnunc reos læsæ Divinitatis: Indè Hominum quisque tàm multis adhuc plectitur ægritudinibus, corporis, animi.

MULIER humanitatis pars altera, labis & antiquæ conscia, nunquid, ut Viro nocentior, sic & plures ad morbos damnata? Suos & alienos nonne patitur manes, cùm virilia quæ contrahit mala, fœmineis addit vitiis longè deterioribus? Procreat hæc vitia muliebre corpus è pejori luto fortè coagmentatum; alit & uterina colluvies, dùm suppressæ Mensium vel Lochiorum fæces in principum viscerum lares sæpiùs importantur; undè tot affectus ὑστερικὰς, tot strangulatus, viris ignoti, fœminis familiares. Quin & illæ mulierum sordes, si diutiùs in utero retentæ computruerint, hospiti suo quot infligunt ictus & plagas insanabiles! Eâ quoque de causâ, Mulieres non paucas exhauriunt fluores albi, virulenti; rodunt alias ulcera, καρκινώματα, quæ Mares haud attingunt.

QUAM variis insuper empta doloribus, quæ fœminæ graviditatem præcurrit, levis aura voluptatis! animi defectio, nausea, vomitio, nùm prima sunt fœtæ conjugis indicia? Reliquo gestationis tempore, δυσπνοία, stupore, κεφαλαλγία propè funeratas urget adhuc Mulieres instantis labor puerperii, vel aborsûs periculosioris: Extant & prolis avidæ, quæ, dùm prægnantis uteri pompâ gloriantur, molam parturiunt exuberantis fœturam sanguinis, repetitâ vasorum depletione præcavendam: Porrò, fœcundi latices, quos ad infantis lactationem mammæ congerunt, si vitium ceperint, fœminis quid non portendunt mali? Planè, si qua virorum propria mulieribus olim pepercerat ægritudo, nunc in eas sævit vehementiùs, non mutatâ sexûs naturâ, sed vitâ, quæ nostrates fœminas degeneres arguit à veterum temperantiâ: Quoties his illæ temporibus suâ de sanitate parùm sollicitæ, per solidos dies totæ sunt in talis & aleâ, vel nocturnis succumbunt comessationibus, quas impunè ferunt Viri Fœminis valentiores.

IRA demùm, mœror, ambitio, vindicta, desperatio, rariores aut leviores in viris, fragilem sexum cur frequentiùs, cur pluribus excruciant modis? Inconstantia pariter, quæ paucos cadit in Viros, omnium ferè Mulierum comes est & socia. An eapropter tot hodiè Conjuges, Aulicæ, Plebeiæ, divortium meditantur, quæ nuper ambiebant innuptæ matrimonium? Suspicias è contrà tenaces Connubii Viros, suâque sorte contentos. Amor ipse, quem vituperare Sexui facilius est, quàm vitare, si parcit Viris, quid non muliebria pectora cogit! E millibus unum furere vix audias amantem: è Mulieribus, quot bacchantur Veneris œstro percitæ! Rumpunt interdùm vincula vel durissima; tollunt & onera quibus sint impares Athletarum lacerti. Quamplures videas, quæ desipiunt ingeniosè, quæ flent, rident, miscent & seria jocis: aliæ (si populo fides) peregrinas effutiunt ignotæ sibi linguæ voculas: Est ubi ferè jacent inanimæ, sine pulsu, voce, spiritu: Est ubi concutiuntur effrenatè, mox & horrendos jactant ululatus In Viduis, in Virginibus, adeò stupendas corporis & animi commotiones ad δαίμονας si retuleris, te latet insana quid Fœmina possit: hæc portenta suscitat uterus, cui si denegaveris quod sitienter appetit, novas ille faces accendit in præcordiis, turbat & loca, quæ frequentat animus. Intereà quàm brevî concidunt Sexûs imbellis vires; dùm naturæ modum superare videntur! quàm fugax pulchritudinis ornamentum, quo superbiunt Mulieres! si tot illæ morbis, dilapsâ velut in cineres facie, miserè deformantur. Nec minùs suum dedecorant sexum, quæ barbatæ, quæ villis hirsutæ vegrandi Clitoride Viros mentiuntur: Eas utroque sexu potentes ne credideris; vanum hoc & insolens virilitatis simulachrum morbus est Fœminarum gregi peculiaris. Reperias alibi nonnullas hæmorroidibus, pleuritide, simul & menstruo fluxu cruentatas: his discas ab ægrotantibus, fœmineum sanguinem purgatione menstruâ non omninò defæcari. Visæ quoque sunt in ætatulâ primâ puellulæ, quibus ab ipso matris ubere pendentibus ros quidam cruentus, stato tempore, stillavit ab utero: An luculento futuræ sterilitatis argumento! Fuerunt & adultæ Virgines, quibus per os, aures, oculos, papillas, digitos, uno quoque mense sanguis erumperet; quasi non expurgatus per loca muliebria, superis in partibus identidem luxuriaret, ibi vasa disrupturus: His ab affectibus si fuerint immunes Viri, si minùs multis, quàm fœminina gens, aliis urgeantur vitiis; quis dubitat uter sexus sit infirmior?

NE quæras igitur à Muliere, quî valeat, sed ubi doleat, eòque magis quòd fœminei corporis compages undique laxa est, mollis, & in vitium flecti cerea: secùs in virili corpore, stat firma partium conjunctio, quas morbi vis haud facilè ferit. Quid quod, eadem si mali labes Virum simul & Fœminam semel invaserit, hæc tardiùs, ille citiùs ut plurimum convalescit: dispar hic exitus, aut à naturâ quæ vegetior in Maribus, aut ab arte Medicâ, cui plures confidunt Viri, quam Fœminæ. Reverà, quot ægræ non itapridem Mulierculæ, spretis fastidiosè remediis, interiêre. Cæterùm, si sanitatis vindex exercitatio, si morbus otiosorum hominum commune stipendium est, rariùs ægrotabunt Viri, qui frequentiùs exercentur: navigant, venantur, equitant æstate, hyeme, sustinent & belli, vel togæ labores: sic effectricem morborum causam fugiunt ignaviam. Quàm diversa Mulierum conditio! quæ tot salubria non dividunt cum Viris exercitia, sed in umbrâ parietum torpescentes, eam sæpè colligunt humorum redundantium copiam, quæ vel exasperat ingenita Sexui mala, vel nova parit, vix ullis in posterum medicamentis eradenda.

Ergo Mulieres pluribus obnoxiæ morbis, quàm Viri.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Giot.
M. Franciscus-Antonius le Dran.
M. Antonius le Moine Pharmaciæ Professor.

M. Petrus-Antonius Lepy.
M. Elias Col de Vilars.
M. Henricus Besnier.

M. Franciscus Maillard, actus Præses.
M. Petrus-Paulus Guyart, Regi Mutilatorum Nosocomii Medicus Ordinarius.
M. Ludovicus Poirier, Antiquus Facultatis Decanus, Regi à sanctioribus Consiliis, Archiatrorum Comes.

Proponebat Parisiis GABRIEL-ANTONIUS JACQUES, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1718. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.